

Bibliothèque numérique

medic@

**Pelletan, Philippe-Jean - candidat /
Sue, Pierre - président. - De hernia
inguinali**

1775.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°23***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x03x0023

DE HERNIA INGUINALI CONGENITA.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

QUAS, DEO JUVANTE, & Præside PETRO SUE, Juniore,
Collegii Præsecto, antiquo Scholarum Præcticarum Anatomie
& Chirurgie Professore, Regiæ Academiæ Chirurgicæ Consilia-
rio, Academiarum Monspelienfis, Rothomagenfis & Divio-
nensis Socio, nec-non in generali Parisiensi præfecturâ Chi-
rurgo ordinario, Vices-gerente M. PETRI DE LASSUS, Ar-
tium & Chirurgiæ Magistri, antiqui Scholarum Præcticarum
Anatomie & Chirurgiæ Professoris, Regiæ Academiæ Chirur-
gicæ Consiliarii, nec-non Serenissimarum Gallie Principum
Chirurgi primarii, tueri conabitur PHILIPPUS - JOANNES
PELLETAN, Parisinus, Artium Liberalium, in præclarâ
Parisiensi Universitate, Magister, nec-non Nosocomii Pari-
siensis, dicti l'Hôtel-Dieu, Chirurgus internus, Theseos Auctor.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 21^a mensis Octobris, A. S. H. 1775,

à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ, Collegii
Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXV.





D. O. M.

THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE Herniâ inguinali congenitâ.

VARIAS inter, quibus humanum genus opprimitur, ægritudines, frequentissima præsertim Hernia. Quæcumque enim sit vitæ ratio, hujus-æ calamitatis periculum omnibus imminet. Si duri labores, ponderum moles, lapsus, equitatio, saltus, clamores, tubarum inflatio, vomitus, partus, fecum alvinarum ejectio, omnis demùm generis violentæ exercitationes ad validos impellunt nixus, indè simultanea diaphragmatis & musculorum abdominalium contractio, quâ urgentur intestina

A

& per loca minùs resistentia adiguntur : vita quoque mollis & otiosa corporis & alvi obesitatem parit, sicque partium abdominis continentium in contentas renixu imminuto, hæ solo ferè suo pondere è sede suâ dilabuntur, & quâ datur prorumpunt. Indè quoque est cur in cœnobitis quibusdam, qui victu pingui & oleoso utuntur otiosi, Hernia sæpiùs occurrit ; quod ab aere humido, potu aquoso, &c. quoquè contingit.

His adventitiis causis, quarum ultimæ prædisponentes, illæ verò determinantes nuncupari debent, eæ adscribendæ sunt quæ à corporis fabricâ communi aut peculiari repetuntur : hocque sub respectu considerandum venit, nonnunquàm ex testium situ, tunicæque vaginalis dispositione quâdam, herniam statim ab ortu aut paulòpost protrudi ; quæ si in tenerâ ætate non reponatur, per totam vitam remanet insanabilis.

Hæc herniæ species, quam *congenitam* vocant, ab aliis distinguitur testis & intestini contactu aut etiam cohæsione. Quamobrem ibi ruptum fuisse peritonæum perperam credebatur (1). Morbi igitur illius naturam & causas, à recentioribus præcipuè per Anatomiam indagatas, exponere fert animus.

Testis in fœtu regionem lumborum occupat, sub renibus, ante musculum *psoam*, propè *rectum intestinum*, saltèm ad latera

(1) « Milui evidens est, inquit D. Sharp, peritonæum, licet primo viscerum exitu elongetur, posse tamen deinde dilacerari ; intestinum enim & omentum sacco in eodem cum teste inveni ; quod, si peritonæo involuta fuissent, videre non potuissem. » *Remarq. Critiq.* p. 4.

Eadem erat sententia celeberr. Hunteri, anno 1748 : cum enim duas in cadavere hernias incideret, partes eruptas testis in contactu dextrorsum vidit, sinistrorsum verò hernia peculiari in sacco continebatur ; undè peritonæum ad dexteram partem necessariò dilaceratum fuisse pro certo tenuit. *Mém. de Chir. par Arnaud*, T. I.

dextrum situs (2) : hujus forma eadem est ac in adulto , directioque suarum partium respectiva eadem ; mutabilis tamen , cum laxè tantùm musculo *psoæ* retrorsùm adhæreat.

Epididymis tortuosum vas , flexibusque variis veluti varicosum corpus , à parte testium exteriori & posteriore emergit : deindè minùs flexuosum , fit simplex canalis nomine *deferentis* notus , qui juxtà epididymidis directionem , non verò sursum , ut in adulto , progreditur. Suprà vasa iliaca , musculumque *psoam* transit & ad basim glandulæ prostaticæ , vesicam inter & ureterem , accedit.

Testes in cavo peritonæi , ut alia viscera abdominis , contenti sanguinem ab aortâ recipiunt & in venas cavam aut emulgentes refundunt. Nervi à plexu renali & mesenterico maximo nascuntur. Hæc vasa , quæ sola *funiculum spermaticum* efformant , tunc flexuosa , deindè , cùm testes descendunt , extenduntur.

Substantia quædam cellulosa , *Huntero testis gubernaculum* vocata , ab inferiore illius organi parte , cui adhæret , per annulum ad scrotum pertingit. Ibi tenuior in membranam adiposam definit , nec utriusque certi sunt limites.

(2) Hæc est quoque testium in animalibus sedes , quæ ab antiquis non fuit ignorata. V. *Arist.* *Hist.* Anim. L. III , C. 1. *Plin.* L. XI , n° 49. Atque etiam in foetu humano olim descripta fuit ab *Hildano* , *Centr.* II. *Observ.* 59. Deindè ab *Hyescbele* , *Dissert.* foetus , p. 56. *A Rader.* de Art. Obstet. p. 100 , &c. Hunc situm annuntiavit *Illustr.* *Haller* , in *Opusculis Pathologicis* , p. 53 , & seq. & longiùs clariùsque in *Elem. Physiol.* descripsit , T. VII , p. 412. Attamen situm testis in abdomine omnesque circumstantias nemo accuratiùs delineavit quàm *Hunterus* , V. *Mém. de Chirurg.* *Arnaud* , T. I , de la *Hernie de naissance*.

Hanc substantiam muscularem, forsan muscoli *cremasteris* processum dicit *Hunterus* (3). Nobis verò per-diligenter inquirantibus, in nuperrimis repetitisque dissectionibus, cellulosa parùmque vasculosa evidentè apparuit. In quadrupedibus musculosa & à cremastere reipsa oriri videtur; undè forsan Celeber. *Hunteri* nimium generalis assertio. Aliquid huic simile substantiæ in sexu femineo reperitur, ligamentum scilicet teres uteri exteriùs descendens: an indè in puellis Herniæ per annulum frequentiores?

Testes involvuntur peritonæo antrorsum & ad latera: retrorsum musculo psoæ adhærent. *Gubernaculum* quoque peritonæo contegitur. Vasa spermatica, canalisque deferens in membranâ adiposâ posteriore recondita latent.

Septimo circiter conceptûs mense, peritonæum in annulo reflectitur, ita ut fiat parva cavitas quam faciliè deleas fursùm attollendo, augeas verò, si scrotum inferiùs attrahas (4). Hæc cavitas ad testem recipiendum destinata, fit amplior, simul ac is in scrotum descendit, quod quidem tempore indeterminato advenit: sæpè enim versùs septimum mensem in abdomine continetur, & inter octavum & nonum jacet in scroto.

Quandoque ab annulo obistente sistitur testis, ibique per totam vitam remanet (5), aut saltè difficilè ultrà progreditur,

(3) *Arn. Mem. de Chir. T. I, p. 68.*

(4) Hunc peritonæi processum & herniam subsequentem vidit *Josephus Duvernay*, vitioque naturæ errantis vertit, quod antè ipsum *Clar. viri Fab. Hildanus, Graff. Swammerdam, Nuck*, apprimè cognoverant, *V. Dissert. de vi laxitas in herniosis Ileum præcavet. an. 1721*, & paraphr. *D. Reneaulme, an. 1726.*

(5) *Th. Barthol. Anat. p. 108*, pro tumore testis curatus fuit. *Marchetti, Observ. 58.*

nec sine acerbo doloris sensu ; tandem non raro in abdomine latuit & abesse creditus est (6). Cum autem testis annulo propior est , *gubernaculum* jam in scrotum pervenit , locumque à teste occupandum , si fas sit dicere , præparat ; postea minuitur & tandem evanescit.

A respiratione , musculorumque abdominis motu , testium descensum pendere ab Illustr. Hallero perperam creditur , cum sæpe sæpius antè partum in scroto jaceant. Peritonæum extensionis , modò lentè fiat , maximè capax testes in scrotum sequitur , ibique eorum *tunica vaginalis* immeritò , si quidem tantum testis anteriorem tegit faciem , dicitur (7).

Hæc tunica continuâ serie ex cavo abdominis in scrotum pervia est , hujusque ostium substantiâ mucosâ malè clausum subindè coarctatur , cum jam testis in scrotum receptus est. Potest autem apertum remanere , quod haud frequenter in homine , in quadrupedibus verò constanter , observatur. In his tamen , quia prono vitam degunt abdomine , Hernia per anulum rara , cum è contrà in homine , cui os est sublime , frequentissima sit.

Si tunicæ vaginalis non occludatur cavitas , facilè poterit pars aliqua intestini ad infimum scrotum delabi , & exsurget Hernia *congenita* cujus exempla varii commemorant auctores , inter quos prior incedit Mery noster (8).

(6) *Paré* , Lib. VII. *Riolan*. Anat. L. II, Cap. 35. *Mart. Scurigius* de spermatalogiâ , Hist. Medica, Quæst. IV.

(7) Hanc perfectè delineavit dispositionem Al. *Monroo* , dicendo à teste tunicam vaginalem posse separari , ita ut sit integra & in illâ testem non contineri pateat. *Essais de la Société d'Edimb. T. V, p. 329.*

(8) Cum herniæ sectionem institueret Celeb. *Mery* , omentum testis fortissimè adhærens invenit ; rupturam verò sacci herniæ sicut & tu-

Ex dictis Herniæ congenitæ elucescit generatio. Patulus sub renibus peritonæi processus expectat testem, invitatque aperto ostio; testis ex solitâ lege deorsum pulsus urgetur & descendit in scrotum. Eâdem viâ sequuntur intestina, modò à minimâ vi depressa fuerint. Itaque statim ab ortu Hernia congenita apparet, quod evenit, vel ob testem annulo non cedente residem, nondùmque in scroto degentem, vel etiam obtumentem hydrocelem, ætate jam provectâ: mobilis hernia in ventrem faciliè reponitur, leviori conatu iterùm mox elapsura: sæpiùs quoque inter se conglutinatis testi tunicæque vaginali

niciæ vaginalis impossibilem pro certo tenuit, processûsque naturalis peritonæi, ut reperitur in animalibus, necessitatem & proindè herniam congenitam agnovit. *Mém. de l'Acad. des Scien. an. 1701, p. 283.* Duas quoque hernias congenitas, structuramque foetus undè oriuntur, vidit & specialitèr descripsit Illustr. Haller in Opusc. Path. p. 53, & seq. hujus observationibus permotus, nihil nisi peritonæi rupturam, ut testis & intestini in herniâ contactus intelligatur, olim subsentiens Celeber. Hunterus, partium foetus herniæque subsequenti accuratissimam dedit descriptionem. Hanc cum notis pretiosissimis celeb. Arnaud volumini primo commentariorum sub titulo *Mémoires de Chirurgie*, inseruit. Lond. 1768, 2 V. de Herniâ congenitâ, quo tempore suas publicè demonstrabat inventiones Celeb. Hunterus, libellum quoque edidit D. Pott: undè inter utrumque de inventionis gloriâ lis orta est: jurè tamen Celeber. Mery, deindè Illustr. Hall., tribuitur. Hanc quoque materiam Celeber. Al. Monroo in Edimburgi Societatis scriptis clarissimè tractavit, T. V, p. 329, & seq. ex eo tempore inauguralem optimam dedit dissertationem Lobstennius: *De herniâ congenitâ in quâ intestinum in contactu testis est.* Argent, 1771. Hoc in pari dissertatione tantùm exposuit subiectum D. Ochme: *De Morbis recens natorum Chirurgicis.* Lipsiæ, 1773. Et nos ipsi, sive in cadaveribus, sive dùm sectio chirurgica ab Illustr. D. Moreau instituta fuit, omentum aut intestinum cum teste juncta multoties vidimus: nec ignorabat has esse congenitas expertissimus Magister, pluresque sese antè vidisse nobis affirmavit. Sic partium structurâ, & his multiplicibus, sed non solis, exemplis, deniquè auctoritate herniarum congenitarum existentia illustratur.

adheret; aliquandò ad annulum, presentia testis strangulari potest (9); tandem teste in abdomine retento, una aut altera obliquè hujus descendens columna, partibus proruptis extensa, iis anterior imminet (10).

Quæcumque autem sit Herniæ congenitæ causa, solum intestinum primitus in tumore continetur: omentum deinceps subrepat (11); tùm ipsa etiam vesica, quæ extrà Herniæ saccum ad latus tumoris internum posita est (12).

(9) Tali herniâ laborabat D. *Malaval*, D. M. P. testis propè annulum adhærens, hernia in scrotum descendebat. V. *Mem. de Chir. Arnaud*, T. I. p. 77.

(10) Hujus dispositionis duo sunt exempla nobis nota, quorum primum ab illustr. *Hallero*. » In homine adulto, inquit, vidi in utroque » latere arcum, nempe columnam internam & superiorem tendinis » obliquè descendens, ex situ suo motam & in arcus speciem flexam, » qui multò solito crassior, anterior imminet intestini voluminibus » per processum peritonæi elapsis. . . . Testes in inguine retenti. . . . » Atque non-nihil retinentes de infantili fabricâ, firmiter adhæserant. » Huic loco. V. *Opusc. Pathol.* p. 57.

Alterum exemplum ab illustr. Magistro D. *Moreau* nobis proponitur. Ob accidentia strangulationis hernia incisa fuit: intestinum & testis in contactu, à columnâ internâ tendinis obliquè descendens valdè extensa, tegebantur.

(11) Omentum in herniosis incisis ter aut quater testis adhærens vidimus. Præterea nuperrimè in cadavere hominis quadraginta annos nati, omentum in tunica vaginali cum teste contentum nobis ostendit condiscipulus noster & amicus *Lheritier*; eandem herniam congenitam vidit & agnovit M. *Fabre*.

(12) Tale refert exemplum in horto regio Professor celeberr. *Mertrud*: errore incisa fuit vesica. Præterea in cadavere D. *Goutard Vernon*, Canonici, vesica herniam congenitam concomitans, plures calculos continebat.

Hernia in infante recens nato obvia statim reducat^{ur} & ope fasciæ ex telâ paratæ, ut testis vitetur compressio, contineatur. Si testis adhuc ad annulum sedeat, rejicienda prorsus est omnis ligatura. Herniâ repositâ diùque contentâ, tunicæ vaginalis ostium coarctatur, tumorque in perpetuum evanescit, imprimis si decumbat infans in latus herniæ oppositum. Si verò ob tumentem hydrocelem hernia nondum in inguine promineat, nihilominus aquâ abdominis in cavum prius repulsâ, fasciâ applicanda est. Cùm demùm à testis ad annulum morâ herniæ metus incutitur, expectandum donec in scrotum descenderit, ut fasciatio, quæ prius molestiam ageret compressionem, fiat salubris.

Hernia congenita in homine adulto occurrens reducenda est, si ab omni nexu libera, & ope fasciæ cohibenda: curatio radicalis tunc aut impossibilis aut saltèm rarissima. Si verò partium conglutinatio reductioni propositæ obstet, tunc, ne tumor in majorem increseat molem, fasciâ quam *suspensoriam* vocant, fulciendus est.

Si ob testem in inguine retentum stranguletur hernia, is in interiora abdominis repellatur (13), herniaque faciliùs reposita brachio contineatur. Si autem testis extrâ annulum positus, vicinis partibus adherescens, nè in abdomen reduci, nè in scrotum detrudi queat, media adversùs strangulationem primùm adhibenda, hisque irritis, sectio herniæ instituenda.

(13) Positio testis in abdomine nullius causa est damni; è contrâ secundùm Gasp. Bauhin. animalia quæ testes in abdomine reconditos habent, sunt falaciora. V. Theatr. Anat. p. 180, de testibus.

Vidi hominem testicondum multâ prole magis quàm pecuniâ ditatum, inquit Synnabalus.

Incisâ cutē , solutâ strangulatione , prolapsæ partes in sedem pristinam compellantur ; si verò intestini cum tunicâ vaginali aut teste occurrat concretio , digito vel scalpelli manubrio diducenda , aut etiam , si res postulat , ipso scalpello cum notis cautionibus utendum.

Aliquoties testis & intestinum itâ sibi firmiter adhærent , ut nullâ arte possint separari ; hoc in casu ad incarcerationis solutionem industria omnis dirigatur , deindèque vulnus cum congruenti abstersione deligetur , & tandem negotii reliquum naturæ committatur.

FINIS.

